

Non fert ullum iectum illaesa felicitas; at ubi assidua fuit  
 cum incommodis suis rixa, callum per injurias ducit, nec  
 ulli malo cedit. Sed etiamsi ceciderit, de genu pugnat.  
 Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos  
 quam optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam  
 illis cum qua exerceantur assignat? Ego vero non miror,  
 si quando impetum capiunt dii, spectandi magnos viros  
 collectantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati  
 est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo  
 exceptit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque  
 spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit. Non  
 sunt ista, quae possunt deorum in se vultum convertere,  
 sed puerilia, et humanae oblectamenta levitatis. Ecce specta-  
 culum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus:  
 ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus,  
 utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat  
 in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam  
 ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem  
 nihilominus inter ruinas publicas rectum. Licet, inquit, omnia  
 in unius ditionem concederint, custodiantur legionibus terrae,  
 classibus maria, Caesarianus portas miles obsideat: Cato  
 qua exeat, habet. Una manu latam libertati viam faciet.  
 Ferrum istud, etiam civili bello purum et innoxium, bonas  
 tandem ac nobiles edet operas: libertatem, quam patriae  
 non potuit, Catoni dabit. Aggredere anime diu meditatum  
 opus: eripe te rebus humanis. Jam Petreius et Juba concur-  
 rerunt, jacentque alter alterius manu caesi. Fortis et egregia  
 fati conventio: sed quae non deceat magnitudinem nostram.  
 Tam turpe est Catoni, mortem ab ullo petere, quam vitam.  
 Liquet mihi, cum magno spectasse gaudio deos, quum jam  
 ille vir, acerrimus sui vindex, alienae saluti consultit, et  
 instruit discedentium fugam: dum etiam studia nocte ultima  
 tractat, dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera  
 spargit, et illam sanctissimam animam, indignaque quae